DE AËRE RAVENNATI.

mei
Jo. Fran. de Luppis
I.V.D. Ravennatis

DE AËRE RAVENNATI
OPVSCVLVM;

Auctore ANTONIO DONATO, Philosophię, ac Medicinę Doctore, Publico eiusdem Ciuitatis Medico.

Ad Eminentiss. ac Reuerendiss. D.

D. MARCVM ANTONIVM

S. R. E. CARDINALEM FRANCIOTTVM,

Et Prouincię Romandiolę, ac Exarchatus Rauennę à Latere Legatum.










RAVENNÆ, Typis Petri de Paulis, & Io. Baptistę Ioannelli Impress. Cameral. & Archiep. 1641. *Sup. facultate.*



EMINENTISSIME AC REVERENDISSIME PRINCEPS, Domine Colendiss.



HOC meum de Rauennati Aëre Opusculum nullam aliam, quàm tui Nominis inscriptionem decebat, Princeps Eminentissime, praeferre: Partus enim ipse, quicunque demum sit, Tibi vni conceptus, Tibi vni in lucem editus, non alibi, quàm apud Te erat educandus. Non oblitum Te arbitror, qui Tibi mecum (quę Tua est humanissima indoles, ne infimorum quidem auersata vnquam congressum) sermo inciderit, sub primos ferè dies illos, perpetuò futuros nobis felicissimos, cum Vrbem hanc eiusdem Exarchatus, ac totius Prouincię Romandiolę à Latere Legatus inieras: cùm enim iniectam Tibi præsentirem falsam quandam de nostri huius Cæli grauitate, atq; inclementia opinionem, impetrare à me ipso non potui, vt Patriam dignitatem ex iure, & æquo non propugnarem: ea quidem verborum sobrietate, qua cum Tui similibus, cum summis videlicet Principibus, fas est vti; tali tamen, vt E. T. non mediocriter exhilarata asseruerit, se deinceps minùs iucundum, seu veriùs omnino iucundum habituram huiusce Vrbis incolatum. Mox irrepsit in animum meum cupiditas, exarandi pleniùs calamo, quod paucioribus exposueram lingua: neque priùs acquieui (modò rem medicam, publicè potissimum, profitentibus vllum supersit feriandi tempus) quàm rationes illas compararim, quibus Rauennatis Aëris honorem sartum tectum vindicarem pro virili à calumnijs: quòd eò alacriùs præstiti, quòd Tibi non ingratum fore conieci. Vt verò perpetuum extaret meę in E. T. singularis obseruantię, atque obsequij monumentum, Opusculum ipsum prælo subijcere, & publici iuris facere, non erubui: quamuis enim tenuę omnio agnoscerem, neque Tuis vlla prorsus ratione

VA. par

par meritis, immo & tuis ipsis non satis dignum obtutibus, animauit me tamen, quod in confessoijs est, qui benè sentiunt, Principum esse non rem pensare sibi oblatam, sed vnum offerentis animum. Ne verò expectes, dum hìc eorum imiter magnam partem, qui lucubrationes suas Dynastis inscribunt, dum scilicet, in auita amplissimę Tuę Gentis excurram decora: licet enim non defuturum mihi esset argumentum, & quidem vbertimum, recensendi plurimos Viros, qua belli, qua pacis artibus conspicuos, neque paucos Ordinis Ecclesiastici insignes Antistites, in quibus excelluit præsertim Eminentissimum illud Purpurei Senatus ornamentum, Iulij Secundi P. O. M. Nepos, Lucensis & ipse Episcopus, Galeottus Franciottus, qui ad maxima quæque ortum se fuisse apud omnem posteritatem testatum transmisisset, si inuida Mors eum vix à sexto ætatis lustro, non citra bonorum omnium mœrorem, non præripuisset: sexcenta, inquam, id genus gentilitia Tua decoramenta potuissem, non tam verè, quàm facilè annumerare; sed deterruit me ineffabilis illa tua modestia, cuius auribus molestè obstrepere, quasi religioni habendum mihi puto. Non immemor autem, qui toti sunt in præstandis, quę laudabilia sunt, eos nihil esse de laudatoribus sollicitos, satius esse opinatus sum, encomia vertere in preces; non quidem, vt abste petam, vt opellam hanc meam à Zoilorum, atque Aristarcorum dicterijs, ac maleuolentijs auctoritate Tua eximas: subsannent licèt, blaterent licèt homunciones huiusmodi; quid tandem agent aliud, quam seipsos inaniter, ne dicam ridiculè, defatigare, Aërem verberantes? sed vt bonorum omnium Largitorem, & certissimum meritorum Remuneratorem ex animo deprecer, vt Eminentiam Tuam ad huiusce Prouincię decus, & salutem, atque ad totius Catholicę Ecclesię illustrandam dignitatem, & sustinendam aliquando Maiestatem seruet quàm diutissimè incolumem.

Rauenna Kalendis Aprilis Anno Partus Virginei 1641.

Eminentię Tuę Reuerendiss.

Humillimus, & Addictiss. famulus.
Antonius Donatus.

AVCTOR

AVCTOR
BENEVOLO LECTORI.

MEAM habes, Humaniſſime Lector, de Rauennati aëre ſententiam: Et quia eius natura, ac conditio nullam prorſus à quoquam hactenus ſubierat delineationis ſpeciem, huiuſmodi inquiſitionis negotium non parùm mihi difficultatis attuliſſe, & proinde arduum proculdubiò me aggreſſum fuiſſe opus, nemo eſt qui ingenuo, ac vero ſenſu velit iudicare, quem lateat; Vnde fit, vt dupli ci hoc titulo aliqua me cenſeam excuſatione non indignum, tum ob iuuenilem meam ætatem typorum exercitijs adhuc rudem, tum ob mei tenuitatem ingenij, materię tam obſcuræ, ac intentatę imparem. Verùm enimuerò eius ſolita ſemper fuit excuſari audacia, qui aliqua impulſus neceſſitate alicui magno facinori animum adiunxit; onus hoc, quantum in me fuit, ſuſcepi, nullo glorię alicuius ſtudio inflammatus, nullo prorſus quæſtuoſæ alicuius vtilitatis cupiditate illectus, nullo priuati affectus ſtimulo excitatus, ſed eo inſeruiendi deſiderio animatus, quod & mei expoſtulat officij ratio, & Eminentiſſimi Principis requirit magnitudo, ita vt nec mea inexperta ætas, nec perdifficile argumentum ab incæpto me deterrere potuerint, grati certè animi, promptæq; voluntatis expleturum munia, quæ aliquid ſemper peritiæ ſibi comparare, & conſequi, omni ſtudio curauit: Quapropter hunc meum (cur enim non fatear?) imperfectum, ac primarium edere non dubitaui partum, qui ſi mutilatus, multiſque, ac varijs mendis notatus, tibi fortaſſe vileſcet, ea ſaltem parte, qua Primitiarum ratio exigit, tibi ſeſe

offert

offert co[illegible]ndabilem: illæ enim ſicuti Deo maxime ſunt debitæ, ita pergratas, & acceptas ſemper extitiſſe, non ignorant, qui diuinas literas vel à limine ſalutarunt: Effectus à ſuarum cauſarum natura raro ſolent degenerare; quocirca mirum videri nō debet, ſi tenuitatis ingenij mei in huiuſce imperfecta lucubrationis ſpecie tibi rappræſentetur ſoboles: In melius proficere, neque potui, neque valui; ad impoſſibilia nemo tenetur; non parum ſollicitus fui quando vniuſcuiuſq; genio, ac intellectus perſpicacitati indulgere neminem poſſe compertum haberem, vt veritatis amatorem calamus meus ſe declararet, eamque complecti ſtuderet ſi ijs non vulgaribus, quibus inſignitus es animi dotibus longe imparem me agnoſcis, in eo eminere affectum meum, quo aliquid tibi gratum præſtare contendi; velim tibi perſuadeas: cuius voti compotem ſi fieri me continget, immortales ei gratias, à quo tantum in me collatum fuit beneſitium, ago. Interim tibi polliceor mea in poſterum ſtudia ad tui ſenſus arbitrium, vt aptius conferam, elaboraturum. Vale mei memor tui addictiſſimi. Rauennæ Kalendis Aprilis anno Partus Virginei. 1641.



DE

DE AËRE RAVENNATI



ËREM ex eorum esse genere, Princeps Eminentissime, quę ab admirabili Omnipotentis Dei manu (sic naturę nostrę necessitate, animantium cunctorum beneficio, humanęquè vitę non tàm conseruandę, quàm producendę ratione exigentibus) ab huiusce Mundi fabricę primordijs fuerint procreata, nemo est, qui erat inficias: frustra certè hac potiremur aura, si eius auxilio destituti ad refrigerandum quâ cordis, quâ totius calorem non inspiraremus, & expiraremus; quem pro eiusdem ventilatione suscipientes pulmones innati caloris symetriam, suiquè naturalis status commoderationem, ac tonum conseruant, teste Gal. 1. de caus. & vsu resp. ita vt nobis siue viuendi, siue non viuendi in hac & inspirandi, & expirandi actione tota posita sit ratio; vt optimè adnotarunt Arist. 1. de anim. cap. 2. & doctissimus Far-

Aër à Deo est procreatus.

Aëris necessitas.

nelius lib. 1. de morb. cauſ. cap. 13. Quam accedente aëre nos tantùm aſſequi idem teſtatum reliquit Ariſt. lib. de vita, morte, & reſp. cap. vlt. & Gal. 5. de locis affect. 1. Vbi habet impoſſibile eſſe vitam ſeparari à reſpiratione, & reſpirationem à vita; quod quidem nulla alia ratione contingere nobis poteſt, quàm inſpirato aëre, gratia cuius ſpirituum, natiuiquè caloris refrigerationem, tum fumidi, fuliginoſiquè excrementi mira facilitate aſſequimur; qui ſanè ſpiritus vitales, cum inter partes noſtrum corpus conſtituentes, non immeritò principatum obtineant, cunctarumquè actionum ſint authores, factum eſt, vt inſtrumenta animę dixerit eos Gal. in Hip. 6. epid. com. 8. & Marſil. Ficinius animę currum exiſtimauerit in com. ſupra conuiuium Plat. 9. Ita ſine hoc adueniente aëre, neque generari, neque conſeruari poſſe admonuit idem Gal. in 7 de Hip. & Plat. plac. text. 6. Cum ex eiſdem nutriamur, ex quibus conſtamus, teſte Ariſt. 2. de gen. & corrup. text. 40. Hinc Hip. hos ex aëre nutriri voluit lib. de alim. & 6. epid. Quem ſequuti ſunt Gal. lib. de vtil. reſp. & lib. de vſu pulſ. 2. de vſu partium, & 2. Aphor. com. 11. Marſil. Ficinus lib. 2. cap. 18. Fuchſius lib. 1. inſtit. med. ſec. 8. cap. 4. Marcellus Donatus de med. hiſt. mirab. cap. 12. Epiphanius Ferdinandus lib. 1. theorem. 67. Vnde conſequitur, vt aër ob eximias, quas præſefert dotes, inter res non naturales à Medicis dictas ſibi primum vendicet locum, vt qui inter

Vitę, ac reſpirationis nexus.

Spiritus vitales ſunt inſtrumenta, & currus animę.

Spiritus nutriuntur aëre.

Aër princeps rerũ non naturalium.

ter cetera ad humanę vitę conseruationem, & alias hominis functiones obeundas non parum cō ducat: hinc Diogenes, & alij ita referente Arist. 1. de anima text. 32. Opinati sunt, aërem animam esse, nam ex eo quod substantia admodum subtilissima sit donatus, ita etiã principium tũ co gnoscendi, tũ mouendi habere, & Marsil.sup.cit. de vita producenda cap. 18. nullum delectum siue alimenrorum, siue alterius rei esse magis ad vitam necessarium, quàm aërem testatum reliquit, quem in spiritu consistere censuit; & Conciliator longa verborum serie corpora nostra magis alterare aërem posse, quàm cibum, & potum ostendit differentia 114. Propterea non parui æstimandum est hoc vnum, quod inter alia, tam mixta, quàm simplicia corpora sibi est adeptum, vt ineuitabiliter, nobisquè inuitis ex eundem inspirandi gratia necessitate, nos alterare, hancquè elementorum compagem, ex qua vniuscuiusque animantis corpus ex eorum perfecta miscella propriam sortitum est formam, seu naturam, dissoluere, ac immutare, siue in melius, siue in deterius valeat, secundum acquisitas sibi qualitates à particulari, tum Cæli constitutione, tum terra, ventis, locis palustribus, aquis stagnantibus, alijsq; huius ordinis in ipsum agentibus; propterea facili negotio, cum ipse aër sit tenuis, & spiritalis vapor nullam aliam ex se ipso prauam redolens qualitatem, sua mobilitate, ac instabilitate, ad variaq; loca motione diuersis, ac inter se non raro contra

Aër quo modo dicatur anima.

Aër mirabiliter alterat.

Aër, varijs est obnoxius mutationibus.

rijs mutationibus esse illum obnoxium contingit, prout alterius qualitatis susceptiuus, modò hanc modò illam sibi acquirit intemperiem; vnde fit, vt, cum nobis omnibus circumfusus assiduè per inspirationem trahatur, suiquè partium tenuitate interiores, ac profundiores corporis nostri partes perlustret, ac permeet, ad eius mutationes, iuxta ipsius temperamentum, animantium corpora coaffici sit necesse; quod optimè animaduerterunt Aetius tetrab. 1. serm. 3. Paulus Egineta lib. 1. cap. 49. & Gal. lib. 1. epid. com. 1. vnde Hip. lib. de flatibus eius dignitatem in nosquè potestatem intuitus, ac excellentiam, morborum, & vitę auctorem esse asseruit; idem sensit Auic. 2. p. doc. 2. cap. 2. Gal. 9. methodi cap. 4. & doctissimus Farnel. 2. de abdit. rerum caus. 12.

Aër morborum & vitę auctor.

Quibus sic se habentibus, non mirum videri debet, Princeps Eminentissime, si ab Vrbe digressus hisce præcipuè temporibus, quibus locorum mutationes solent esse, vt plurimum, periculosę non solùm ob æstiuos dies, sed ob subitam, ac inexpertam alterius Cæli temperiem, sub qua, his grauior, non parui æstimari debet peregrinatio, cum omnis longinqua traductio non modicum soleat ferre incommodi; quod vnicuique regioni ex soli, & aquę natura, situ, ventis, quibus iactatur, peculiaris inest constitutio, innataquè proprietas, cui non sit ità facilè assuescere; Rauennā verò profectus, totius Æmilię Legati à Latere titulo, ac munere insignitus, inter hæc non mediocriter

Locorum mutationes sępè sunt incōmodę.

diocriter

diocriter discrutient, ac defatigent animum, quę de hoc Rauennati aëre, nomine potiùs, quàm re insalubri, tibi falsò enarrata fuere; quod insalubris, vitiatiquè aëris nomen à prisca illa tot annorum, parum certis innixa fundamentis, Antiquitate, hæc nostra recepit, non citra iniuriam, posteritas; quod vndique circumsepta aquis, paludibusquè cincta extaret hæc Ciuitas, iuxta illud Silij Italici lib. 8.

Rauenna olim intra paludes.

Quique graui remo limosis segniter vndis
Lenta paludosę proscindunt stagna Rauennę.

Ita etiam deprauato, coinquinatoquè aëre infectam esse autumarunt; quod quàm à veritate, ac ratione sit alienum docet Strabo 5. Geogaph. qui hanc Vrbem, quòd temporibus Augusti, & Tiberij viuebat, omnium prorsus diligentissimè descripsit. *Intra paludes*, inquit, *Vrbs maxima Rauennę posita est, tota ligneis compacta ædificijs, aquis diffusa, pontibusq́; , ac lembis peragrata, cum à Mari fiunt innudationes, non mediocrem accipit Maris partem, adeò vt vniuersa cænositas, hinc fluctu marino, hinc fluminibus alluentibus, tetrum medicetur odorem: hoc pacto igitur saluberrimus comperitur locus, vnde gladiatoribus educandis, ac exercitatione erudiendis, hunc idoneum Magistri locum designauerunt. Inter cætera eius loci mirabilia illud est, quòd palustribus in locis aër innoxius est, quemadmodum ad Alexandriam Ægypti paludis vitium æstate propulsatur propter amnis incrementum, simul etiam euanescente cæno.* Hæc Srabo; cui assentitur Hieronymus Rubeus in historia Rauennę

Rauenna descripta à Strabone.

uennę lib. 1. & Hieronymus Montuus de salub. tutel. lib. 1. par. 5. cap. 2. Quo loci condita hæc Ciuitas non paucos ex vulgo hominum, sed & ex doctis nonnullos primo intuitu decepit: vnde fit vt hęc deprauata adhuc vigeat credulitas; paludosique, ac vitiati aëris apud exteros multos circumferatur nomen; quod quàm falsum sit, ex superiorum eorumdem temporum monumentis, in quibus situs huiusce Ciuitatis, licet esset paludosus, numerosâ boni habitus Populi multitudine repleta in felici optimę valetudinis constitutione hæc Ciuitas nostra conseruabatur, facilè colligere licet; hinc multarum, ac variarum nationum non infimę notę exteri felicis vitę diuturnitatis cupiditate illecti hìc morari non dedignati sunt: cui veritati non parum fidei astruere possunt tot Imperatores probatissimi testes, aliarumquè Vrbiũ præclarissimi viri, qui cum in alijs Italię Ciuitatibus degere possent, hanc Vrbem sibi habitationem elegere, ac sedem; vt videre est apud præcitatum Hieronym. Rub. scriptorem multiplicis eruditionis, studiosissimum rerum antiquarum indagatorem, & omni prorsus laude maiorem; & Dominicum Valerianum in primo suo Panegyrico de Rauennę Antiquitate in Statu Seculari; Virum sanè nostrę ætatis in omni politioris humanitatis genere non mediocriter eruditum, qui, quę à multis de hac Ciuitate sparsim fuere prolata in vnum, non tam compendiosè, quàm fideliter collegit.

Falsa de vitiato Rauennæ Aëre opinio.

Plurimi Rauennã olim conuenere sanitatis ergo.

Eius

Eius porrò temporis salubritatis causam refert Vitruuius in aquarum fluxum, & refluxum, aëris agitationem, qua expurgatur, & quicquid est corruptius in mare procul asportatur: Ad hæc referri possunt, & maris salsedo, liberque salubriũ ventorum perflatus, quę omnia huiusce aëris bonitati maximoperè inseruiebant. Hinc apud Vlpianum Iurisconsultum legimus, Aurelium Quietem Medico hospiti suo mandasse vt in hortis, quos Rauennę habebat spheristerium, atque hypocaustum sua impensa ædificari curaret, tuendę enim valetudinis gratiâ hic maximam anni partem consumere consueuerat: ob quam benè constituti aëris temperiem, aliqui in prædicta Vrbe vitam traduxere vsque ad centesimum annum, vt Caius Iulius Pætus; nonnullos centum, & tredecim æquasse annos, vt Lucius Antidius Sotericus testatur Origenes, de quibus, & de alijs etiam recentioribus eodem lib. 1. Hieronym. Rub. In quibus eorum temporum recensendis salubris aëris notis, non est vt tempus conteram, cum instituti mei sit ea solummodo in præsenti perquirere, quę pro huiusce temporis aëris tum constitutione, tum natura indaganda facere possunt. Quare vt rem propius aggrediar.

Vnde Rauennatis Aëris salubritas.

Multi Rauen. ad plurimos annos vixere.

Vrbs Rauennę, quę inter alias Italię Ciuitates sibi Antiquę comparauit nomen, in parte Septentrionali Occidentali sita est, in plano condita, sub signo Leonis, cuius situs totam Septentrionalem respicit plagam, à qua suos familiares agno-

Rauennæ situs.

scit

ſcit ventos; hanc à locis paluſtribus eſſe diſſitam, nulliſquè ſtagnantibus aquis circumfuſam, oſtendunt æquè loci æmænitas, ac Villarum adiacentium fertilitas. Hæc quemadmodum à Mari per tria paſſuum millia, ita per viginti à montibus diſtat; vnde fit vt libero, apertoque ventorum perflatu totus hìc vndique ventiletnr aër; duobus alluitur Fluminibus, quorum alterum ex Apennino iuxta Vitim naſcens, Forum Liuij primum, deinde Rauennã ab Occidente, & Septentrionibus præterfluit; Montonis veteri vocabulo nomine appellatum; alterum ab Oppido Ronco, quod alluebat, Roncus ſiue, vt teſtatur Plinius, Vitis nominatur; is è ſummis Apennini iugis ex latere Tiberi aduerſo, ad Septentriones ortum ducens, multa non obſcura Æmilię Oppida præterfluens, huiuſce Ciuitatis muros lambit, paulòque infra Vrbem Montoni iunctus, defertur in mare. Huic Vrbi imperat Cælum ſui natura in actiuis ad temperatum accedens, vel parum, ob aliquale frigoris ſubdominium, à temperato recedens; in quo & temperatum dici poteſt; in paſſiuis autem ad aliqualem humiditatem inclinans, quę quidem à ventis Septentrionalibus huic Cælo familiariſſimis, qui cùm ſecundum eorum eſſe ſint frigidi, & ſicci, vt vult Ariſt. meth. 2. & Gal. aphor. 3. apho. 5. & 17. corrigitur, ad moderatamque temperiem redigitur, quam ob cauſam æſtate nos ſatis temperata fruimur, hyemem verò frigidam experimur.

Rauennę Cælum quale.

Quibus

Quibus positis, si vera sunt, quę scriptis demandauit Hip. lib. de aëre, locis, & aquis, & Gal. de sanit. tuend. 1. Auic. 2. p. doc. 2. cap. 5. Paulus Ægineta lib. 1. cap. 49. Aetius 1. tetrab. serm. 3. cap. 63. Quę sit huiusce aëris conditio, quicquid ex eiusdem qualitatibus liceat certi elicere, non erit sanè difficile adinuenire.

Cur Rauennęaër dicendus sit salubērrimus

Quare ex rei sumpto principio, præsentis temporis Vrbis Rauennę aërem vndequaque saluberrimum statuendum esse existimo; ob eam siquidem, quam præsefert mediam inter crassam, & tenuem naturam, tum ob eam, quam in passiuis secundùm proprium aëris esse seruat, commoderationem, eo sublato, ac attemperato, quod ab actiuis qualitatibus posset resultare siue caloris, siue frigoris excessus, nulli innoxius, cuiusque naturę inculpatè conseruandę idoneus, iure merito est constituendus; ita sensit Hieronym. Rub. eodem lib. 1. & cum eo Vincentius à Cruce olim apud. Rauēnates Medicus Primarius, in suo trac. de Catharro, pro Perillustri Viro Octauio Raspono in forma Consilij.

Qui aër habendus sit salubris.

Prima huius conclusionis pars ex boni, seu praui aëris notis ab Auctoribus supra numeratis videtur æquè bene posse desumi; in quibus citatis locis aëris bonitatem describentes, vnanimiter eū salubrem contestantur, qui secundùm totam sui substantiam est purus, nitidus, patens, & liber; nullis inquinamentis obsitus; nulla putredine affectus, aut corruptela perfusus, ventis difflatus:

eius autem ordinis eum esse contendunt, qui nec stagnorum, aut paludis halitibus fuerit infectus, neque ex profundo specu pestilentem auram spirauerit, aut qui editis vndique montibus in cauo loco, & valle inclusus, benignos solis influxus non receperit, ventorumquè perflatum non admiserit: quę supradictę salubris aëris dotes his contentę carminibus breuiter legi possunt.

Si cupis incolumen vitam producere, Cælum
Effuge corruptum nebulis, nidore, lacunis;
Quodq; mouet madidus morbosis Africus auris,
Purũ ama, & ad solẽ nascentẽ, & lumine apricũ
Purgatum Euro, & Boreali frigore tersum.

Quas sanè enumeratas supra aëris conditiones, tam adæquatè, ac inseparabiliter hunc Rauennatem aërem concomitari ita clarum est, vt à ratione, hunc præcipuum, verumquè optimi aëris denominari posse characterem non alienum esset affirmare.

Aër Rauen. optimus ac impermixtus.

Quare quod ad eius pertinet substantiam, quę primo loco se se offert nobis consideranda, non est quod quis circa hanc ambigat, propter quod vitiata dici possit: nam cum ea sit optimi aëris substantię dispositio, vt in hoc posita sit, vt non crassa, neque nebulosa existat, sed pura, & tenuis, quę scilicet oriente sole promptè incalescat, eoquè occidente statim refrigeretur, vt primo de tuend. sanit. testatur Gal. Hę duę qualitates ita huiusce aëris videntur esse proprię, vt nulla alia egeant demonstratione, quàm ea, quã vnusquisq;

Signa optimi aëris.

sub

ſub hoc degens Cælo poteſt experiri; ſub quo aërem inſpirare ſanè contingit, neque turbidum, neque craſſum, cum hìc mediam inter hæc duo ſortitus ſit formam, quę ab omni impuritate aliena clara nobis, ac nitida apparet; hinc fit vt his inſignitus dotibus, qualitates ſibi à ſole aduenientе communicatas facilè recipiat, recedenteque amittat. Hoc autem cò facilius aſſequi conſentaneum atteſtari duco, quò liber ventorum perflatus ob planum, & apertum ſitum pateat, quo aërem ipſum puriorem reddi teſtatum reliquit Ariſt ſec. 14 prob. 7. propterea fit, vt hæc Ciuitas vndique detecta, cum montes eam obumbrare minimè poſſint, ab ortu, vſque ad occaſum irradiationis ſolis benefitium recipiendo ita informetur, eiuſque ita liberè euentetur aër, vt in omnibus æquè ſuis diſpoſitionibus perfectiori modo quoad ſuam ſubſtantiam æqualis re verâ ſit dijudicandus, vt de aëris bonitate videtur ſentire Arnold. Villan. de rebus non naturalibus cap. 13. & Paulus Aegineta lib. 1. cap. 59. Vnde ab omni impuritate, ac vitio ſegregatus quandam in ſuę ſubſtantię moderatione æqualitatem, ac bonitatem ſeruare ex eo colligere licet, quod nullam recipiat alterationem, ſiue ab aquis ſtagnantibus, locorumuę paluſtrium euaporatione impreſſionem, vt quę ab hac Ciuitate maximoperè diſſita, prauas eorumdem qualitates impertiri, haud poſſint, cum omnes huic Ciuitati loci adiacentes, imo & ipſi, qui non breui interuallo diſtant, multis fru-

Hæc in aëre Rau.

Rauennę ager multis ferax fructibus.

ctibus, varijsquè arborum, ac plantarum generibus sint exornati, quę proculdubio, & ipsius soli salubritatem, Cælique temperiem attestari videntur: propterea contigit, vt sub hoc climate circundantem nos aërem nulla alia informatum materia quàm ab ea, quę eiusdem aëris propriam ingreditur constitutionem, suumq; informat naturale esse; purum in tota sua substantia, nullaque labe, alia vè praua qualitate infectum inspiremus: huic non parum accedit commodi ex duobus supra enumeratis Amnibus Ciuitatem prædictam ambientibus, qui aquarum cursus velocitate aërē agitantes, à salubriquè, qua exorsi sunt minera non spernendę qualitatis aquas secum ducentes, huiusce aëris bonitati nō mediocriter inseruiunt; qui quidem licet secundum aliquos aquarum euaporatione, quas nobis deferunt nonnihil humidi, & crassi ipsi aëri apti nati sint impertiri, vt potiùs aëris perfectioni obesse, quàm adiumentum videantur afferre; si quę tamen contingit in ipso aëre alteratio, quę sanè cum perexigua admodum sit, ac benigna in quadam parua salubri potiùs humiditate consistens quàm secus, eidem aëri cōparata natiuum nostrum humidum assiduè effluentem, ac se consumentem instaurandi, ac reparandi gratia valde accommodata, nullam inferre noxam posse autumandum est: qua propter hanc aëris constitutionem saluberrimam, vitæque producendę idoneam existimauit Cardanus, qui minus humidi natiui consumi in humidiori Cælo voluit,

Duo Rauennę Flumina aëris salubritati cō ducunt.

Aëris humiditas aliquando conseruationi nostri humidi, ac reparationi confert.

voluit, in quo humido caliditati coniuncto, cùm hæc nostra vita senundum Arist. lib. de long. & breu. vitę, reposita sit, si id enim in hac quatuor elementorum animata compage posset conseruari, hominem fore immortalem testatus est Gal. 6. de tuend. valet. cap. 3. quod humidum à prima nostri ortus conformatione nobis ingenitum, cùm in quadam consistat aërea substantia, nec facilè putrescibili, vt docuit nos Arist. loco præallegato, ita ab eo quod ab ambiente aduenit nobis aëre ob partium similitudinem sibi ipsi proportionato restaurari, ac conseruari non est denegandum, cum nihil aliud sit, quod quam similimas huic nostro humido habeat partes, quàm aër, eadem imputrescibili, eaque aërea substantia dotatus, vt placuit Arist. prob. sec. 25. vnde fit, vt ob hanc quàm cum humido nostro tenet proportionem, animantia in longius vitam protrahant in humidiori potius aëre, quam sicciori, qui sanè huic humido alendo consimilis magis materia, proportionataquè censetur si libero, apertoque loco per aduenientem solem, si quę ipsi impressa esset qualitas, quę crassi aliquid secum præseferret partibus crassioribus resolutis clarior, ac purgatior, huicquè nostro humido fouendo aptior inde proueniret, quam absolutissimam aëris perfectionis formam in primogenito humido nostro proportionem obseruare sub hoc maximè Rauennati Cælo attestari possumus, sub quo ob latam planitiem, tum omnimodam solis irradiationem

In humido, & calido vita hominis.

Humidũ in quo cõsistat.

Aër nostro humido per similis.

Aëris Rauennę perfectio ex humidi proportione.

optimam

Aër Rauennæ vnde quaq; purgatus.

optimam humidi adeptus est temperiem aër, vnde fit, vt hoc nostrum humidum tum augendi, tum conseruandi gratia non paruam sibi comparet partem: quare non est, vt in præsenti Rauennati aëre hanc præhumidam morbosam à Fluminibus contractam intemperiem timeamus, à quibus si quę exoritur insalubris alteratio in humidi ratione intemperata, bonæquè valetudini haud conferens, intelligendam sanè est prædictam fieri à magnis Fluminibus tum copiosam, tum permixtam aquam deferentibus, alijs concurrentibus sæpissimè concausis, quę vt plurimum his solent associari, vt paludes, aquę stagnantes, loca caua, vt varijs in locis circa Padum potest obseruari, in quibus tum ob vapores prauosque halitus ab ipsis aquis relictis, nullo motu agitatis, eleuatos, vitiatus solet frequentissimè dominari aër: Secus dicendum est de huiusmodi aëre, quem vndequaque sincerum ab omnique impuritate purgatum extare, nullamque aliam subire alterationem, seu mutationem, quę nostra immutare sensibilirer corpora valeat, quàm eam, quę à varia temporum vicissitudine, anniquè dissimilitudine ipsi solet contingere, asserendum procul dubio est; cuius naturam, ac dispositionem in huiusmodi quatuor anni temporibus, in cuiusque illarum partium medio manifestam pati diuersitatem, sicuti in extremitatibus sibi inuicem communicare, quotidiana nos erudit experientia; Nec parui sanè momenti est, quod sibi nacta est hæc Ciuitas

Aëris Rauen. salubritas vnde dignoscatur.

à parti-

à particulari Cæli constitutione, quę cum in suis qualitatibus sit cõmoderata, huic aëri amicos, ac benignos influendo influxus, eam parere aëris salubritatem dignoscitur, quę ab ijs vendicare morbis, quos Endemios, & Epidemios, seu pestilentes passim vocat Hip. apta nata est, bonæque valetudini, ac vitę diuturnitati non parum auxiliari: Ad hæc accedit loci situs apertus, & benè euentabilis; id enim benefitij consequitur, vt ventis assiduè flantibus, nosque ambiente agitato aëre loca corruptionem non admittant, aut admissam, reiectam quam primum respuant, sicuti accedente solis benefitio, si quid humidi terrestris, ac crassi ab aliqua facta à solo euaporatione ipsi inest, cum liberum habeat à montibus dominium, in eam intendendo materiam, digerit, consumit, naturalique bonitati restituit; sicuti è contra non exiguũ est, quod non paucę Ciuitates à Montibus sortitę sunt incommodum, quę, & si sua natura in optimo sint conditę aëre, quia tamen euentabiles non sunt, ob impeditam, tum ventorum transpirationem, tùm ab ipsis mõtibus obiectam solis irradiationem, vitiati ideò aëris iniurias assiduè experiuntur, vt in hac nostra Æmilia hanc ob causam Cæsenę Ciuitas huic calamitati est subiecta; nonnullę alię extant Vrbes, quę cum in conualle sitę sint, ventorum autem auxilio destitutę, crasso admodum nutriuntur aëre, quem bonę valetudini plurimum obesse vnanimiter confitetur Medicorum schola, vt de ipso Romano aëre sentire

Rauen. situs euentabilis.

Ciuitates non euentabiles prauo fruuntur aëre.

sentire videtur Franciscus Collutius de nephriticis dub. cap. 3. Cuius Ciuitatis locus cum cauus, ac conuallis existat, non euentilatur aër, ob variamquè, ac diuersam Collium positionem annexas habet varietates, repentinasque mutationes, quibus morbos parere, sanitatiquè ineptum esse artis medicę Viri præclarissimi plerique obseruarunt, inter quos Gal. 1 epid. com. 2. text. 25. & lib. de temp. morb. cap. 8. & Cælius Aurelianus ex Asclepiade lib. 2. cap. 10. Quod contrarium contingere manifestè constabit, si Regio plana sit, ventisquè peruia, vt adnotauit Arist. sec. 1. prob. 53. Quę sanè miram incolumitatem omnibus animantibus inferre valet potentissimè, quòd ventorum percurrentium vi, aërisque circumuolutione dissipata auolent, malorum plurimorum seminaria cuncta; vnde fit, vt hac commotione facta, spirituquè vndequaque efflante, aër commoueatur, putredinisquè semina, siquę sunt, auferantur: qua de causa aperta, perspirataquè loca omnibus alijs salubriora esse tradidit Arist. loco cit. Sicuti idem confirmauit sec. 14. prob. 7. Quem sequutus est Ludouic. Septalius in com. sup. eundem locum, & in lib. Hip. de aëre locis, & aquis; quibus in locis apertis accolas tardè senescere protulit idem Arist. Quod, & ratio videtur innuere, quia perspiratu aër fit purus, quapropter materia proportionata euadit, non tam pro nostri caloris euentatione, quàm pro spirituum tum nutritione, tum generatione: qua pariter

Crassus aër valetudini noxius

Aër perspiratu fit purior.

ter

riter ductus ratione, Mare ideò esse sanum autumauit sec. 1. prob. 53. Quia perspirabile, in cuius aperta perspirabilis loci positione hanc esse sitam Rauennę Ciuitatem, sicuti licet vndequaque intueri, ita non est, vt in id præostendendo, laborem.

Rauennæ Vrbs ex Mare accipit boni aëris beneficium.

Nec silentio inuoluendum est, non leue beneficium, quod huic aëri attemperando à Mari præstatur; quod cum sui natura hyeme tepescat, æstate autem frigescat, in his autem inæqualitatibus semper esse temperatum testetur Arist. sec. 28 prob. 16. Non mirum videri debet, si qui ex illo nobis demandatur aër, easdem redoleat qualitates, cum ea sit aëris, ac ventorum, à quibus eleuantur natura, vt per quod transeunt, easdem sapiant qualitates; vnde Arist. sec. 26. prob. 54. quærens rationem, cur Fauonius ventorum omnium sit lenissimus, causam referendam in Mare esse affirmauit, à quo spirando talem sortitus est conditionem, quę sanè à Mari impressiones ad tuendam sanitatem, vitamquè prorogandam maximè sunt accommodatę, vt potè quibus nullus, siue actiuarum, siue passiuarum qualitatum insit excessus; vnde contingit, vt à Mari venti aëris bonitatem efficiant, corporibus incolumitatem concilient, virium robur præstent, bonumq; induant habitum, qui cum aliquid semper ipsius Maris salsedinis redoleant, leuiter exsiccando putredinem prohibent, vaporesque in aërem delatos impensè humidos consumunt: Neque ambi-

Ventorũ à mari cõmoda.

gendum quin maximi sit momenti, quod huic aëri ad aliqualem humiditatem inclinãti acquiritur à maritimis ventis, à quibus quædam exsiccatio temperata proueniens, siquid humidi in hac aëris regione est, vel à naturali temperie, vel extrinsecus ab aliqua alia euaporatione, siue Austrina aliquã, ac perhumida fortasse prædominante cõstitutione, quę alicuius humiditatis excrementitię seminaria referant, resoluendo, proportionatam bonę valetudini aëris formam constituant; propterea dicebat Hip. 2. de dieta, ventos à Mari in regiones illabentes ficciores quodammodo esse: neque ab re inquit (quodammodo) quia non omninò, nec valde sicci sunt, ita vt opponantur ijs, qui à terra accedunt, quos paulò infra dixit esse ficciores, tum à sole, tum à terra reficcatos, vnde Plutarchus de tuen. valet. testatum reliquit, ijs qui propè Mare incolebant non esse necessarium remedia adducere ad dentes tuendos, cum ob eorundem ventorum, atque aëris siccitatem, quę caput roborat, eos ipsis satis firmos, ac sanos habere contingat: quam etiam optimam salutis formam alijs nostri corporis partibus indere, norunt illi, qui siue propè Mare incolentes, siue ipsum percurrentes vitę diuturnitati optimam, salubremque valetudinem compararant; ob id Hieronym. Rub. lib 2. in annot. sup. Cornel Cels. cap. 1. ventum à Mari per os in ventriculum ingressum ad appetitum, ciborumque concoctionem, eorumque digestionem prodesse affirmauit

Rauenn. aëri sunt maxime benefici venti.

Vẽti maritimi sicci sunt.

Incolitus propè mare vtilis.

affirmauit, dum eos extenuat, ac calefacit, eo modo quo de optimo salito pane testatus est Gal. 5. de tuend. sanit. cap. 7. Quam ob causam Venetos videmus, qui marinis aquis circumfusi, cõ similiquè aëre aliti, ventis ab ijsdem spirantibus perflantur, ita vegetos esse, vt pleriquè felici bonę valetudinis cursu ad centesimum annum proximè accedant; quod maximè cernere licet in ijs, qui vel maritimam exercentes, vel Classis alicuius ministri, aut præfecti totam ferè in Mari sine vlla prorsus salubris valetudinis iactura consumpsere ætatem; quod idem dici posset de multis alijs, de quibus quia multa, & varia apud scriptores extant exempla, non est præsentis negotij hic recensere: idcirco Arist. sec. 10. probl. 54. Marina animalia longè maiora, ac vegetiora terrestribus esse asseruit, quod confirmauit Auerroes, eadem esse diuturnioris vitę in pharap. lib. de longit. & breuit. vitę: propterea non est præter rationem confiteri, marina loca æquè ob aëris puritatem, atque ob ventorum benignitatem à Mari acquisitam ad diù viuendum plurimum conferre, ita sentit Hieronym. Rub. loco sup. cit. & Hieronym. Montuus lib. de salub. tutel. præal. p. 5. cap. 2.

Marina animalia sunt vegetiora terrestribus.

Nec obstat huic veritati, quod multę sint Ciuitates, ac loci, qui etsi ob Maris vicinitatem ab huius ordinis difflentur ventis, vitiatum tamen, ac ferè corruptum haurire aërem experientia demonstret, vt videre est in multis Italię locis, &

apud nos præcipuè de toto Primarij pago obseruari potest, necnon de nostro Candiani Portu; qui loci huiusmodi licèt marinos excipiant ventos, salubritatem tamen aëris minimè admittunt, cum hi potius vapores illos, tristesque halitus exagitando, ac dimouendo, deferant, impingantq; magis in animantium corpora: hinc ex non vulgaribus, plerique marina loca improbandi occasionem nacti sunt: quibus satisfecisse me plenè putaro, si id neque ventorum, neque aëris maritimi ratione contingere asseruero, cum hæc sui natura ad puritatem aëris, ac salubritatem conciliandam sint æquè semper parata: quod si aliquando contrarium experiri vsu veniat, vt huiusmodi loca Mari adiacentia deprauatum scilicet conferant aërem, non aliam ob causam illum sibi ipsis attrahere fatendum est, nisi quod propè Mare sæpissimè extent paludes, & aquę stagnantes quibus in locis ob diuersam, tum salsi, tum dulcis temperiem ijsdem commixtis simul vaporibus facilè alterationem contrariam suscipientibus putrescunt, & sic adiacentem totum coinquinant aërem: quò fit, vt ad prædicta loca tetri delati halitus, vt longa obseruatione à nostris de prænominato Primarij Pago obseruatum est, necnon de locis huic nostro Candiani Portui finitimis, totã illam conspurcent aëris regionem: quos halitus propè concomitari tantum, nec longius extendi neminem latet; quas vitiati aëris causas fortasse respiciens Columella 1. de re rustica, intulit, à Mari

Marina loca iniuria ab aliquib⁹ improbãtur

Salsum, & dulce simul de facili putrescunt.

Mari longo potiùs interuallo, quam breui refugisse, eò quod media spatia grauioris sint halitus, cũ in his ob ipsius saliti, tum dulcis mixtionem aër facile alteretur, ac putrescat, vt in his propinquis Mari locis stagnantibus licet experiri; propterea nonnulli hac ratione moti de Maris aëre ita malè, ac deprauatè sensere, vt in hanc deuenerint sententiam, sanitati parum tutum, vitæque diuturnitati contrarium extare, cum tamen id suis repugnare principijs, ex ijs, quę supra dicta sunt dilucidè innotescat, quod sui natura potius, & saluberrimum, & vitę humanę, non tam conseruandę, quàm producendę ratione idoneum extare longo comprobatum est rerum vsu; cuius beneficij munus, ac salutares præcipuè qualitates nobis demandari, non obscurum est, vt quibus ab ipso ventos, aliasquè non insalubres dotes in debita distantia, ac proportione ab omni praua halituum colluuie purgatos haurire datum est.

Marinus aër approbatur

Ad hæc accedit particularis hùc pertingentiũ ventorum concursus à partibus Borealibus (hi enim ad aërem referuntur, si enim fides præstanda est Stoicis, Ventus nihil est aliud, quam aër commotus, seu fluxus aëris) à quibus humidioribus huiusce aëris, ab humili fortasse Rauennę situ impertitis, assidua ventilatione, ac siccitate, quam indunt, partibus absumptis purior redditur, temperatæquè naturę restituitur; ventos enim à Septentrione spirantes, & sui natura esse frigidos, & siccos nobis ostendit Arist. Met. 2. cap. 6. &

Ventus quid sit.

Venti septentrionales sũt frigidi & sicci.

Auic.



Auic. 2. p. doc. 2. cap. 8. Sept. in lib. Hip. de aë re, locis, & aquis com. 1. Vnde fit, vt mirum videri non debeat, si ab hac prouenientes venti parte humiditatem, siquę est, in aëre dissoluendo, cõsumant, suaquè siccatione corrigant, purioremq; reddant; hinc ab his æstiui attemperantur calores, tempora, atque dies serenitate, quemadmodum, & aër salubritate circumuestiuntur; ob id Boreales omnium ventorum saluberrimos esse scriptis reliquit Aetius tet. 1. sec. 3. cap. 63. Cũ hi aërẽ ab omni impuritate emendent, nubibusq́ eis obuijs dissipatis, pluuiarum, nebulosi, obscurique Cæli omninò consumpta materia, ne è terra eleuentur vapores impediendo, ipsorum ascensum prohibeant, puritatemque aëri largiantur; vnde Auic. de nat. vent. loco cit. à Septentrione ventos corpora densando corroborare, facultatem digestiuam meliorem facere, aëremque innoxium, cunctisque animantibus purgatum conciliare testatus est: quo sub titulo Arist. sec. 14. prob. 15. Corpora in locis frigidis habitantia fortiora esse ob inculpatas, quę in his celebrantur concoctiones, interno aucto calore naturali ob ambientis frigiditatem, sicuti è contra sapientiora voluit, quę in locis calidis ob spirituum tenuitatem, tum caliditatem, calidique innati perfectissimam substantiam: quare calidum ad animi virtutem, frigidum verò ad corporis robur conferre existimasse Arist. colligi facillimè potest: quę sanè duo ita sunt intelligenda, vt vtriusque excessus

Boraeles venti omniũ optimi.

Corpora in locos frigidos colentia sunt fortiora.

Quę calidos sapiẽtiora.

excessus sint dimouendi, vt optimè animaduertit Hip. lib. de aëre locis, & aquis; vnde fit, vt cum sub hac regione ob Borealium ventorum impulsum, Cæliquè attemperatam caliditatem hæc duo æquali quadam media tum frigoris, tum caloris iuxta temporum vicissitudinem, temperie experiamur, extremis illis actiuarum qualitatum seiunctis, fit vt optimo hìc degentium habitui, animi fortitudo, ingenij acies, vnà cum laudatissima aëris qualitate virium robur comparetur: quę sanè à refractis simul, atque attemperatis ventorũ scilicet frigiditate, ac siccitate à pari huiusce aëris tũ caliditate, tum humiditate agnoscuntur, vt optima cum ratione hoc Cælum ab omni, tum frigoris, tum caloris segregatum excessu non tantum sui natura, quàm salubrium ventorum beneficio, temperatum omninò constitui queat.

Rauenn. Cęli temperies inter frigidum, & calidum.

Venti porrò hanc plagam illabentes, qui huiusce aëris, tum bonitati, tum serenitati conducunt, cũ in multiplici sint differentia, & à partib⁹ Septentrionalibus, & ab alijs Mundi cardinibus præstat hìc (cuiusque naturę indagandę gratia) proprium, specificumquè indere nomen, vt à manifesto, ac noto, à quo ad nos proueniunt principio, habita eorundem qualitatum temperie, acquisitę ab his huic aëri dotes facilius innotescant, vt qui magis, ac qui minus, quoque tempore dominari incipiant, ac desinant, possint accuratè dignosci. In qua re, vt huiusce veritatis scopum attingam, longa obseruatione comprobatum est

nobis

nobis, estium diei cursum in hac nostra regione eum esse, vt summo mane Fauonius, seu Zephyrus, paulò post Barrholibicus, seu quod idem est, Magister, deinde Boreas, & Meses efflent, Vesperi verò Natapeliotes, seu Siroccus, sub Auroram Africus, qui tandem vsque ad Zephyri horã perdurat: quem eundem ventorum ordinem adnotauit Hieronym. Rub. non minus in re medica, & historica, quam in astrologicis contemplationibus Vir peritissimus, ac celeberrimus lib. 2. an not. sup. Cornel. Cels. cap. 1. Tempore porrò hyemali ijsdem à Septentrione efflantibus ventis succedit Natapeliotes horis scilicet meridianis, deinde Magister, & ita inter se periodica quadã afflandi vicissitudine hunc omni ex parte circum uoluunt, ac agitant Rauennatem aërem, quem ijsdem informari hùc percurrentium ventorum qualitatibus, quibus à sui exortus pollent principio necesse est: quos supra enumeratos ventos, modo salubritatem, aliquando morbos in corporibus nostris iuxta eorundem, tũ naturas, tũ qualitates, à varijs, per quę transeunt locis, acquisitas, excitare posse nouum non est, quod multis in locis testatus est Hip. Præcipue autem lib. de aëre locis, & aquis, & 3. Aphor. 12. 14. & 17. Qui sanè prænarrati venti cum ex eorum sint familia, qui non infimum salubritatis sibi arrogant locum, vt latè supra ostensum est, ita eorundem accessu, ac ventilatione non parum vtilitatis huic acquiri aëri consentaneum est affirmare. Quare si primo

Venti quib' per flatur Vrbs Rauenna.

Zephiri natura.

si primo Zephyri, seu Fauonij conditio sit indaganda, quę se se nobis offert priori loco consideranda: Is ab occasu Æquinoctiali suam trahit originem, in actiuis qualitatibus ad aliquam frigiditatem vergens, ex eorum enim est genere, qui à Borea proueniunt, vt vult Arist. 2. met. Minus tamen frigidus existit, quàm Boreas, sicuti & quam eius collateralis Argestes, in actiuis siquidem temperiem habere dicitur, licèt in passiuis ab aliquibus humidus censeatur, qua in Italia tamen carere humiditate, innuit præcit. Rub. vt potiùs hunc tractum incolentibus salubris maximè, ac siccus experiatur, quapropter serenitatem parit, saluberrimamque aëris temperiem inducit, vt videre est apud Lud. Sept. in lib. Hip. de aëre locis, & aquis com. 1. Qua ratione ductus Arist. sec. 26. prob. 54. & 57. Omnium ventorum lenissimum, illustrem, serenum, atque gratissimum nuncupauit; nec ab re his eum exornauit encomijs, cum medium calidorum, ac frigidorum statum teneat, quò fit, vt cum inter Septentrionem, ac Meridiem illis oriens sit vicinus ita etiam vtriusque generis qualitatum particeps euadat. Circa cuius venti qualitates Theophrastus lib. de ventis idem confirmauit, licet diuersa ratione, quam inde desumere videtur, quod ex Mari, locisque apertis spiret, propterquè illam paulisper amittens frigiditatem, ab illis locis, ex quibus sui exortus duxit principium, acquisitam talem supradictam temperatam naturam, nanci-

ſcitur, quod reſpiciens Florentinus 1. collect. rei ruſticę, prę alijs ventis agriculturę maximè com modum eſſe exiſtimauit; qua adductus ratione eundem frugum nutritorem duxit, ac dixit Ioſ. Quercetanus ſuo diatet. polyſt. cap. 3. Ob cuius ſingulares dotes mirum inmodum ab ipſis Poetis pari ratione commendatur, vt extat illud Homeri apud Gazam in prob. Ariſt. 33. ſec. 26.

Sed Zephyri aſſiduè ſpirant, ventiquè ſalubres.

Et apud Franciſcum Petrarcam

Zefiro ſpira, e'l bel tempo rimena.

Quod latine ſic reddi poteſt

Aſpirat Zephyrus redeunt iam tempora clara.

Zephyri defenſio. Necquidquam contra nos facit quod de hoc vento in ſuis exercitationibus Scaliger Vaſcouię tãtum perniciei afferre aſſerat, vt rarò ſine incolarum pauore, ac deteſtatione ingruat; nam vt optimè adnotauit Hip. 2. de vic. ratione ſec. 4. Vẽti ex regionum, locorumque ſitu, perquę ad alias quaſque obueniunt regiones inter ſe non parum differunt, vt frigidiores modò calidiores, modò ſicciores, aliàs humidiores, aliquando morboſiores euadere neceſſe ſit. *Vẽtorum qualitas diuerſa pro locorum diuerſitate.* Quod idem confirmauit Cornel. Celſ. hinc Auſtri in Africa frigidi ſunt, eius nempè naturę, cuius apud nos Aquilones, ita referente Ariſt ſec. 26. prob. 51. Et hiſce temporibus Notolibicus, quem vulgò Garbinum, nos autem communi vocabulo Corinam vocamus, cum Etrurię non admodum moleſtus ſit, in hac Æmilię Prouincia ingentes affert moleſtias,

maximèq;

maximèq. noxius, ac in salubris existit, vt non solum hominibus, sed, & plantis, tùm herbis languorem inferat, vina in dolijs perturbet, mirumq; inmodum cunctorum animantium corpora æstuosa efficiat, quod ijs præsertim contingit, quę illi ad montium fauces obiectę sunt Ciuitates, vt Imolæ, ac Fauentiæ, hìc autem Rauennæ, quia per latam planitiem dissipari, ac in mare dispergi facilè potest, non ita incommodus, ac morbosus euadit, vt refert supra cit. Rub. in Cornel. Cels. & nos ad aliquam potius inclinare frigiditatem, quàm secus non raró experti sumus: ex quibus patet nequaquam mirandum esse si venti ex locorum diuersitate, per quæ ingruunt, ac dispergun tur, aliam, atq; aliam sibi ipsis adipiscantur naturam, quà nunc salubres, nunc insalubres aliun de acquisitas nobis præseferant dotes, quare, vt vno verbo prædicti Fauonij specificam complectar naturam, non tam propriæ essentię ratione, quam regionum positionibus, per quas illabitur, saluberrimus nobis vndequaq; est constituendus, vt de hoc non sit ambigendum.

Ceterum qui huic subsequuntur venti à septentrionali plaga sui motus agnoscũt principium, cuius, quam in aëre inuehunt, attestantur frigiditatis notę; quibus sanè non est denegãda fides: quo circa Boreas, Meses, & Magister, ac cum Gal. Caurus ab ipsa Septentrionali parte sua desũmunt natalia, à qua frigidas, siccasq; qualitates sunt sortiti, vt optimè Gal. adnotauit Aphor. lib.

Vẽti alij septẽtrionales; & quales sint Rauennę.

com. 3. Aphor. 17. quem sequuti sunt Auic. p. 2. doc. 2. Arist. met. 2. Aetius tet. 1. serm. 3. cap. 153. Theoph. lib. de Ventis: qui supradicti venti ad hanc ventilandam aëris regionem hoc incedunt ordine, vt Boreas immediatè à Septentrione ad nos perueniat; Magister medium tenens locum inter Septentrionem, & Occasum æstiuum, vtriusque particeps hùc pertingat; sicuti Meses à medio Septentrionis, & æstiui Orientis nobis accedat: Notapeliotes verò, seù vt apud nonnullos Siroccus, inter Meridiem, & Ortum Brumalem principium ducens hùc circumfertur, vt quatuor à Septentrionali plaga, vnum verò ex parte Meridiei, ventos demandari inde constet, à quibus is agitatus aër puritatem, serenitatemquè sibi adipisci, morbos fugare, salubritatemque cun ctis animantibus conciliare, ac impertiri non est qui me iudice, ignoret: vnde Gal. de huiusce ordinis locutus ventis, omnes consumere superfluitates, facultatibus nostrum corpus regentibus virtutem, ac robur adijcere, cunctaquè tam secundùm naturę, quã secundùm animę operationes meliora fieri, voluit; & Auic. Septentrionales inter alios ventos optimos esse statuit; Arist. nitidi, mitisque Cæli esse authores scriptis mandauit; Aetius à Septentrione ventos cò quia frigidi, & sicci sunt, ideò ex omnibus alijs saluberrimos esse testatus est; & Hip. ex eo quod huiusmodi venti, ex niue, ac glacie eleuantur, pariter sata, atque animantia omnia refrigerare, corporibusquè

Boreas. Caurus. Meses. Notapeliotes.

busque sanitatem præbere retulit locis supra cit. Quibus se subscribunt Cels. lib. 2 cap. 1. Hierony. Montuus de salub. tutel. par. 5. cap. 2. & doctissimus Septalius, ac alij quam plurimi, quos breuitatis studio libentissime omitto. Hisce Borealibus dictis succedit Notapeliotes, seu quod idem est Vulturnus, siue Siroccus, qui licet ab Arist. versus finem tract. de ventis appellatus sit æstuosus quia tamen ad hanc peruenit Ciuitatem latissimamq; hanc apertissimamq; planitiem diuagatus, ac quandam à Mari temperiem sibi est mutuatus, fit vt æstiuis temporibus frigidū nobis aërem comparet; hyeme verò temperatum pariat, ex eo enim quod hyemali tempore Mare tepescit, æstate autem frigescit, vt placuit Arist. sec. 16. prob. 23. hanc sibi in prædicta anni temporis variatione temperiem nanciscitur, ea attemperata ab ipso Mari, quam inuehere solitus est humiditatem, haud nobis insalubris agnoscitur; cum ea sit ventorum ex Maris regionibus aduenientium conditio, vt siccum quodamodo sortiantur esse; quod attestari videtur Hip. lib. 2. de dieta cit: Qua propter Aetius hos hydropicis, fluuidisq; affectionibus non parum conferre voluit 1. tet. serm. 3. *Siroccus qualis sit Rauennę.*

Præter enarratos, peculiaris alius huic regioni perfrequens solet afflare, Etesię nomine ventus is autem à Septentrionibus spirat, vt docet Hip. in l b. Epid. Arist. lib. de mundo, & Strabo lib. 15. quibus se subscripsit Plin. 2. Hist. cap. 47. ex eorum genere est, qui stato, certoque ordine, ac periodo, *Etesia frequens Rauennę.*

periodo, dierumq; numero ad nos redit, cum Etesię nomen apud Græcos idem sonet, quod apud nos anniuersarium; ea enim huiusmodi Borealium existit natura, vt inter cæteros determinato ad nos dierum numero accedant, quò fit, vt cum Etęsię, ex eorundem familia sint exorti, ita pari ratione easdem obtinere corporibus nostris adiuuandis salubres qualitates obseruarint facultatis medicę non pauci præclarissimi viri: Eorum autem determinatum, quo solent incipere ef flare tempus, à supra enumeratis Auctoribus ab exortu Caniculę, vsque ad præfinitum quadraginta dierum terminum, quo solent perdurare, statuitur, vt innuit Hip. & Plin. locis cit quos sequtus est Lud. Sept. in lib. Hip. de aëre, locis, & aquis com. 1. & 4. huiusmodi autem ventorum per flatus, qui alijs in locis, ac regionibus determinato, statutoq; dierum numero solet terminari, huic nostro Cælo ita familiarissimus est, vt per totum ferè æstiui temporis cursum, hanc aëris regionem diuagentur, à salubrique, à qua exorsi sunt plaga non tam aëris salubritatem portendant, quam æstus temperiem; quod obseruauit Hieronym. Rub. in suis annota. sup. Cels. lib. pręall. Hi autem flare incipiunt hora diei, vt plurimum tertia, percurrendoq; vsque ad vespertinum tempus aërem puriorem nobis præparant, saluberrimamq; temporis constitutionem efficiunt, quòd innumeris penè locis testatus est Hip. quibus huius naturę ventis æstate perflantibus, aërem salubrem

Etesię per totũ ferè ęstatem perflant Rauẽnatem aërem.

brem nobis comparari, non spirantibus insalubrem tradidit: Qui venti, & si à prænarata Septentrionali exoriantur parte, ad hanc tamen regionem, ea ex parte, qua ad nos spirat Notapeliotes peruenire inde constat; quod suis obseruauit pariter temporibus Hieronym. Rub. qui loco supra cit. huiusmodi ventos retulit diuersas subire ventorum regiones; quod desumpsisse videtur ab Arist. qui 2. met. eam esse Etesiarum naturam testatus fuit, vt ob locorum diuersitatem, ac sitũ per quę transeunt in alios desinant ventos, de quibus locutus Gellius lib 2. cap. 23. Etesias ventos esse confessus est, qui ex alia, atque alia Cæli parte spirant: hinc fit, & si à Borealibus partibus sui motus trahant principium, per varias tamen Orbis partes percurrentes præcipuè autem versus hanc plagam, totius Ægypti, finitimarumquè regionum littora incurrentes, quę sinuosa sunt, frequentibusquè promontorijs prædita, vt testatur Srabo lib. 17. quorum magna inde pars quasi reiectæ, ac repulsę, Adriatici Maris, atque Apennini Italici littora, ac latera legentes iuxta ipsius situm, qui in Notapeliotem vergit, quo etiam spectat Italia, & Apenninus eodem Strabone teste, ab ea in quam parte ad nos perflantes ipsius nobis Notapeliotis speciem referunt, cum tamen ex sui natura ex Borealium genere sint re vera vẽti: Quare Etesias ventos subfrigidos esse nulla est dubitandi ratio: hi autem præter suum naturalem statum, ac ordinem ad hanc illabuntur frequentissimè

Etesias qualis Rauennę.

quentissimè regionem, ad temperandos magni æstus calores, purgationemque efficiendum hunc aërem, quorum afflatus ope id nobis commodi accedit, vt non minus salubri, quàm temperata fruamur æstate, vnde Srabo, Alexandrinos opti me æstatem agere asseruit, quia Etesię à Borealibus partibus, & à Pelago flant; quod videtur alia ratione confirmasse Gal. 3. epid. text. 6. vbi tempus ęstiuũ maximopere calidum fore nos edocuit, si ventorum accesserit tranquillitas, præcipuè autem Etesiarum, quo loci Hip. eius ætatis pestilentiam describens in silentes Etesias videtur causā referre; propterea dixit, *Æstas serena, & calida erat, magni erant æstus, Etesię parum non perpetuò spirarunt*. Quamobrem Gal. cit. lib. text. 71. de eadem locutus pestilentia, cuius meminit Hip. diuini Senis doctrinam sequutus hæc habuit. *Si Etesiæ spirassent, morbosum humani corporis statum abstersissent*. Et lib. de aëre locis, & aquis lib. 3. Hip. æstiuam constitutionem variorum morborum genere obnoxiam describens, si Etesię spirauerint eosdem affligentes in æstate morbos iam cessaturos, Autumnumque fore salubrem scriptis demandauit; quorum salubritatem ventorum tanti semper fecit Hip. vt in desperata Democrati Abderitis valetudine, quam summè Hip. commendabant, ijs respondisse Hip. colligitur ex sec. 8. epist. ad Damagetum, quod Etesiarum tempestate fretus, nullum quidem malum, aut certè breui, & facilè corrigi posse polliceretur: quod idem alijs

Etesiarũ commendatio.

alijs quam plurimis in locis de huiusmodi ventorum salubri non minus, quàm benigna natura verba fecisse colligi potest.

Quorum cum ea sit præcipuè conditio, vt incipientes ea, quam aëri benignitatem, ac salubritatem impertiuntur, cessare faciant morbos, inceptisque securitatem, iudicijq; celeritatem semper portendant, non est, vt quis miretur si is Rauennas nobis circumfusus aër ab enumeratis perflatus, atque alteratus ventis, id puritatis, ac perfectionis sibi ipsi consequatur, vt omni ex parte à quacunque impuritate segregatus, nulloq; vitio, ac corruptela perfusus, siue primarum, siue secundarum qualitatum non intemperie donatus, sed quo ad suam substantiam impermixtus, ac inculpatus, neque silens, sed assiduè agitatus, ac motus morbos profliget, præsentem valetudinem tueatur, amissamq; polliceatur, vt qui commoderationem quandam, ac symetriam adeptus, hyemem nobis præstando non intensè frigidam, Ver temperatum constituendo, Æstatem autem in caliditate temperatam, ac serenam benignis, amicisq; patrijs à Septentrionali plaga Ventis difflatam præseferendo, sicuti Autumnum non malignis obsessum morbis, sed innoxium, ac salubrem nobis largiendo, temperatum vndequaq; Cælum omnibus saluberrimum pariat; quę omnia ex huiusce benè constituti tum aëris, tum ventorum forma, benignitate, ac temperie nos consequi procul dubio asserendum est.

E Quare,

Quare, si pro huiusce veritatis maiori intelligentia, ac confirmatione eorum, quę dicta sunt nobis vlterius progrediendum sit, magis sensatis, manifestisq; innitendo, non erit, vt amplius in obscuris versemur: Si quidem si habitatorum corpora examinauerimus habitus, virium robur, capita sana, oculorum inoffensum lumen, puros auditus, corporis in peragendis tum animę, tum ingenij operationibus, in studijs perspicacitatem; quę omnia aëris præcipuè bonitatem, ac perfectionem attestantur; ecquis contrariam tueri sententiam audebit? ecquis à se ipso impetrare poterit, vt de Rauennati aëre malè sentiret? enimuerò si naturalem hanc Ciuitatem incolentium hominum corporis habitum inspiciamus, robusta vtiquè, boniquè habitus corpora adinuenire licebit, eaquè prædita esse natura non erit ab re affirmare, quam Hip. lib. de aëre locis, & aquis, Vrbes Septentrionem respicientes incolentibus propriam esse voluit; quo loci cum multa de his recensuisset eorum perfectam corporis constitutionem demonstrantia subiunxit, *Et capita sana habere, & dura*. Cuius dicti reddens rationem doctissimus Septalius, non ob aliam eius regionis accolas causam, talem capitum temperiem sortitos fuisse, quam ob aëris, tum puritatem, tum perfectionem ob ventorum Septentrionalium ad illam pertingentium concursum, comparatam, quorũ ventorum naturam, ac qualitates salubres describens Hip. lib. de sacro morbo innuit, ea præditos

Rauennatũ ex aëre beneficia.

Benefitia huiusmodi ventorum.

esse

esse temperie, ac conditione, vt in corporibus, quod sanissimum est, detineri, conseruariquè sinant; quòd verò morbosissimum est, ac humidissimum, excerni intendant: ex quo fit, vt qui huius ordinis ventos excipiunt, ijs robusta, ac sana capita habere contingat, ob quandam exsiccationem, quam tum capiti, tum ceteris partibus, quę humiditatibus excrementitijs repletę sunt Aquilonares venti parere solent; à quibus consimilem sortitus aër qualitatem, & sana capita, & robusta corpora condere valet; quapropter Hip. aphoris. 17. talium ventorum perflatum, & vim formatricem validiorem reddere, actionesq; omnes tam animales, quam naturales robustiores efficere confessus fuit; vt non sit mirum, si huiusce naturę aërem inspirantibus, & sana capita, & dura habere sit datum, vt quod in eminentiori corporis parte situm, imo magis exsiccatum, vt quod aëris impressionibus maximè subijciatur, præter id quod ab vniuerso consentiente excipit corpore talem salubritatis sibi formam acquirat; quam sanè tum capitis, tum vniuersi corporis bonam valetudinem hanc Rauennę Ciuitatem incolentib' amicam, familiaremquè esse, ac propriam, adeò notum est, vt nulla egeat demonstratione, nec est, qui in dies non experiantur; ab huiusmodi enim aëris temperie tum Borealium ventorum perflatu eam adepti sunt optimam benè constituti capitis conformationem huius Ciuitatis incolę, vt multo minus, quam ceterarum habitatores re-

Praesertim Rauennę.

gionum, temporum iniurijs, capitisque passionibus sint subiecti: Cuius gratia silentio minimè inuoluendum est, in confirmationem eorum, quę pro hac veritate à me supra fuere prolata, quòd in magnis capitis vulneribus quotidie nobis licet experiri, quę etsi ex sui natura sint fere semper insanabilia, hìc tamen ob capitum sanam incolentium temperaturam, tum aëris clementiam, ita facili negotio sanitati perducuntur, vt, quod mirum dictu, quę alijs in locis læthalia censentur iuxta illud Hip. lib. de vulneribus cap. 1. hìc tam parui habeantur momenti, vt facilem, celeremquè in omnibus ferè curationem admittant; de quo cum indies à felici huiusmodi vulnerum successu erudiamur, non est, vt in his recensendis rem in longius protraham. Huic porrò capitis conformationi vniuersa correspondet membrorũ compages, ac structura, quibus hanc Rauennatem iuuentutem validis præditam viribus, ac nõ tam corporis proceritate efformatam, quam mira in cunctis obeundis actionibus dexteritate, animiquè actiuitate insignitam vnusquisquè potest cognoscere. Hæc enim æstiuis temporibus sub feruentissimis radijs solaribus, hyemaliquè tempore sub frigidissimo, inimicoquè Cælo caloris, tum frigoris iniurias contempta, venationis incommodis, quę maximè in delitijs habet, libentissimè se exponit, ea vegeta corporis freta valetudine, pariquè efformata partium conformatione, quę optimam temperiem, ac sanitatem consequitur

Aër Rauenas me dendis capitis vulneribus est vtilissimus.

Iuuentus Rauennæ valida, & actuosa.

ſequitur iuxta Gal. lib. de opt. corp. conſtit. quo fit, vt nec laborum impatiens, nec hiſce temporibus otio indulgens aſſiduè ſe exerceat, ac defatiget: Conſimiles robuſtiores naturas præcipuè adinuenire licet in his noſtris pagis, quorum habitatorum corpora, & laboris, æſtiuiquè, tum hyemalis cuiuſque exceſſus vim, ac iniurias patientia, firma membrorum valetudine vitę diuturnitatem excolunt, quam in laborioſis terrę cultibus, alijſquè validis, oneroſiſquè exercitijs indefeſſi ad vltimam vſque ferè ſenectam traducunt, vnde, nec quieti, quę diebus, qui feriati illis ſunt celebrandis permiſſa eſt, parcentes, varijs ſaltationum, ac curſuum generibus ſe exercent, inter quę familiariſſimum eſt paleſtrę, ſeu luctę exercitium, in quo ob corporis, tum fortitudinem, tũ partium agilitatem maximopere inter ceteros pollent: Quę omnia optimę valetudini, ab ambiente, Cæliquę temperie, tamquam à cauſis ad noſtrę præcipuè ſanitatis conſeruationem concurrentibus acquiſitę accepta ſunt ferenda: Quod virium ac fortiudinis laudem videtur quoque Vitruuius Romanis tribuiſſe à climatis olim temperie, ducta ratione lib. 6. cap. 1. vnde Italia crebras quantumuis, ac magnas experiatur caloris, & multò magis frigoris mutationes in his tamen inæqualitatibus temperatam eſſe valuit præallegatus Author: quo ſub titulo Lud. Sept. in Ariſt. prob. com. 14. viros in arte bellica fortitudine, ſcientiarumque cognitione præſtantes, vitam lon giſſimè

Agri Rauennatis coloni ſunt robuſtiſſimi.

Italia eſt ſub Cæli temperata conſtitutione.

gissimè producere autumauit: In qua sanè Cæli temperata constitutione Italia nos præcipuè alit, in qua sub climate in æstiuis temperato, vel parum ad frigiditatem inclinante degentes, has minus mutationes persentimus; quare non est, vt quis miretur, si meliori totius Italię regionis Cælo fruentibus, & sana corpora, & validas vires, ac ad quasuis obeundas non secus animi, atque corporis functiones promptitudinem habere contingat Rauennatibus, vt longa obseruatione clarũ est; & apud celebres non spernendę auctoritatis scriptores, digna de huiusce Ciuitatis viris extant monumenta: Horum autem virium roboris, animiquè præstantię causa tota referenda est in purgatos, elaboratosque spiritus, qui quidem cum ex suauiori sanguinis euaporatione, inspiratoque aëre suę generationis ducant principium, primo in corde, mox in cerebro, vt placuit Hip. quem vnanimiter sequuntur omnes Medici, quibus pro ipsis exercendis munijs ipsa vtitur natura; vnde est, vt multi facultatum vehicula spiritus existimauerint, sine quibus facultates non solum quid quam perficere valerent, sed etiam sine ipsorum influxu, & à corde, & à cerebro totius insitę corporis vires prorsus destitutę naturali eorum virtu te, ac robore breui conciderent: Quod respiciens Hip. animę essentiam eos appellare voluit, quod idem fecit Gal. 2. de Hip. & Plat. plac. cap. 6. Qua propter eò validiores, ac viuidiores esse facultates absque dubio existimandum est, quò plu

Maximè Rauennates.

Vnde hęc prerogatiua.

Spiritus sũt facultatum vehicula.

Essentia item animę.

res

res perfectiores, ac elaboratiores suscipiunt spiritus, quorum generationis materia, cum sit inspiratus, attractusquè à pulmonibus aër, sequitur, vt quò purior, quò ad suam substantiam nitidior fuerit, eò meliores ita progignantur spiritus; cũ ea sit inter alitum, & alimentum proportio, vt huius necessariò sapiat semper alitus naturam, vnde fit, vt his inseruiendis facultatum officijs meliorem euadere neminem lateat: & hac præcipuè de causa homines salubritatem aëris inspirantes viuidos, robustisque viribus præditos, in omnibusquè ferè temperatos circumspicere licet; quę quidem omnia non tantùm ob sanguinis prædominium, quàm spirituum bonitatem, ac claritatem contingere exploratum est; cum enim plurimo huiusmodi calido innato ob causam materialem in omnibus perfectiorem abundent, quod calidum innatum vt vult Gal. 1. de simplicium med. facul. cap. 8. cum non sit nisi hæc substantia spiritalis, quam omnium operum naturalium causam, & opificem, non præter rationem esse testatur idẽ sec. 1. aphor. 15. hinc fit, vt ab hoc agente in tota sua substantia perfecto inculpatę celebrentur concoctiones, nouiquè semper procreentur spiritus, quorum ope, & reparata insiti calidi substantia, quod assiduè dissipatur, ac deffluit, partibusquè ipsorum irradiatione, ac influxu virtutem ac vim subministrando, hoc nostrum viuificant corpus, robustumquè reddunt, vnàquè omnes intellectus operationes faciliori quodam, ac per-

Qui salubrem inspirant aërem sunt maxime viuidi.

fectiori

fectiori modo de potentia ad actum deducunt.

Secus autem ratiocinandum est, si ab hac defecerint bonitate, ac natura, quam si aliqua ratione in sui generatione ex deprauato aëre, siue in eorum conseruatione, tum nutritione ab impurgato, improportionatoquè aëris insalubris pabuló vitiari accidat, vna cum sanguine ipsi spiritus coinquinati facultates infirmas reddentes, tũ ob dissimile, quod influunt calido innato nutrimentum, tum per exiguam, ac inualidam, quã facultatibus deferunt virtutem praua corpus afficiunt dispositione, maloque, ac insalubri circumuestiunt habitu, vt inde vna cum virium, tum ingenij imbecillitate, decolores euadant habitatores, vt optimè admonuit Arist. sec. 14. prob. 12. & Septalius supra eundem locum com. 14 & in lib. Hip. de aëre locis, & aquis com. 2. tex. 29. & com. 3. text. 2. & 3. nam cum virium robur, animiq; ac intellectus perspicacitas, & in bona corporis compositione, & in humorum proba temperie, ac in spirituum recta consistant generatione; quę sanè cum sine salubris aëris auxilio, ac ope, nequaquam comparari possint, fit, vt quid quid, & ad intellectus quod pertinet operationes, & quod ad corporis spectat labores, facultatumque munia, ineptè admodum, ac difficulter peragatur: His vna cum totius coloris cutis defedatione vitiatę aërem substantię in spirantibus varię nõ raro solent concomitari præter naturam affectiones ob deprauatam hæmatosim seu sanguificationem,

Viciati aëris detrimenta

nem, ac spirituum, calidiquè innati substantię impuritatem, ac vitium; has autem frequentissimè diuagari, plurimosquè corripere compertum est; sunt autem hæ sæpissimè, & vtriusque hypocondrij obstructiones, pulmonum vitia, vt tusses raucedines, respirandi difficultates, ob impurum vitiatumquè ab ipsis attractum aërem, quibus nō raro solent consequi phthises, totiusque membrorum macies ob dissimile delatum corporis partibus alimentum, ipsa naturali frustrata hepatis hęmatosi; quę multorum malorum non immeritò solet existere soboles: his accedit & visus debilitas ob spiritus tum crassos, tum turbidos ab impuro procreatos aëre, facultati visiuę delatos; inuoluntarij sequuntur lachrimarum effluxus; impeditiquè frequentissimè solent contingere auditus, ob malam in ipso cerebro contractam intemperiem, ac ob prauę qualitatis in aures intromissum aërem, qui vt ipsorum partium improportionatum obiectum, audiendi frustrata facultate, ac impedita, & tinitus, ac dolores parit sæpissimè, auditusque actionem refringit, ac diminuit: His omnibus necessario coniuncta sunt capita imbecilla, ac morbosa, multis excrementis scatentia, ob quorum fluxiones subiectis partibus demandatas, multorum morborum ijs non raro præbent materiam. Sed quid plura de effectibus à vitiato aëre emanantib⁹? hi enim sicut innumeri sunt, ita ex incolentium numero non paucos corripere solent, qui abundè satis tantę calamitati subiectę

regiones illata ab aëre detrimenta contestari possunt: Hoc vnum dixisse sit satis, vitiatum aërem occultum quendam esse nostrę vitę principijs inimicum, qui insensibiliter ex naturę necessitate nos obsidet, & non mediocriter lædit; eorum venenorum naturam adeptus, quę statutis, ac determinatis quibusdam temporibus, paulatimq; vnà cum sanguine spiritus inficiendo perimunt: Quę sanè exarata, partaquè à praua aëris conditione symptomata nobis sunt inuisa, vt qui in aëre nullius malę qualitatis experto vitam ducentes, optimum, saluberrimumque vitę genus traducimus, ea corporis incolumitate fruentes, quę, & vegetiores, inculpatosquè præstat sensus, bonumquè induit habitum, vt proinde quadam veluti desumpta ab effectibus ratione, licet inæqualiter, ab ea minimè aëris temperie excludendi videantur Rauennates, quam miris in quadam Asię parte laudibus extollit Hip. lib. de aëre locis, & aquis quę ob temperatam, quam sortita est naturam, temperato, ac æquali anni tempori correspondentem, vt exponit doctiss Sept. lib. sup. cit. com. 5. temperata alere corpora, ac sana, aliaquè pro hominum victu nutrire animantia ob aëris claritatem, Cæliquè serenitatem, ac clementiam apta nata est; quam in hoc tantùm ab his nostris differre regionibus voluit supradictus Auctor, quod illa regio æqualiter temperata toto anni tempore semper se habeat, hę autem nostrę modo frigiditate, modò calore prædominante quandam ser-

Vitiatus aër occultus nostrę vitę principijs inimicus.

uent

uent temperiem, ac commoderationem: ex quo fit, vt eorum naturas nihil virile, ac ærumnosum, laborumq; patiens, ac animosum pati posse testetur Hip. cuius euentus tota causa in eius rationis temperici æqualitatem referenda venit, à qua prę ter corporum benè efformatam structuram, pulchritudinem, proceritatem, aliaquè id generis ab aëris bonitate, temporumquè inter se non dissimilium parta, excludere videtur Hip. audaciam fortitudinem, in aduersisquè constantiam, vt qui bus nullos huiusmodi perferre excessus, ita etiam his animi motibus facilè succumbere sit datum, vt optimè adnotarunt supra præallegatum textũ Sept. & Cardanus, qui contrarium ibi sentire videntur de Europa, Italię præcipuè Ciuitatibus; quorum sententię videtur fauere Vitruuius lib. 6. vbi de incolentibus Italiam his locutus fuit verbis *Namque temperatissimę ad vtramque partem, & corporum membris, animorumque vigoribus pro fortitudine sunt in Italia gentes.* Cuius veritatis dictum si cui Ciuitati adaptandus venit huic præcipuè Rauennę Vrbi competere nõ est in dubio vertendũ, in qua ob hanc temperatam inæqualiter aëris constitutionem, cum ea sit à prædominante frigiditate, licet non excedente temperata, optimo corporis habitui, proportionatęquę corporis proceritati virium robur, animiquè fortitudinem adiunxere semper Rauennates; quę cum adhuc sensibus manifesta sint, alia comprobatione non egere notum est; vnde est, vt Arist. sec. 14. prob. 8.

Italię gẽtes optimè temperaturæ

Maximè Rauennates.

Corpora in frigidis locis sunt firmiora.

quę frigida loca inhabitant fortiores extare voluerit, eoquod ficuti ob fanguinis, & fpirituum copiam, quorum refolutio ab ambiente frigido impeditur, cordis calor augetur, cuius influxu non parum roboris vniuerfis præftatur partibus, ita etiam non minorem adfcifcit fibi totum corpus fortitudinem, & audaciam.

Nec prætermittenda funt, quę à felici, ac optimo hìc incolentium habitu, alijfquè non leuiter conferentibus in huiufce aëris falubritatis, perfectionifquè gratiam defumi poffunt, à quibus hanc veritatem luce ipfa clariorem vnufquifque facile depromere poterit; nam fi effectus fuarum excellentiam caufarum, ac dignitatem præoftendere verum eft, vti veriffimum quis ire inficias poterit id perfectionis, bonæq; valetudinis genus in hominibus hìc viuentibus forma pulchris, decenti ftatura præditis, viuidi coloris, tardè fenefcentibus, in ipfaque fenecta robuftis, ab optima, falubriquè huiufce aëris qualitate non debere recognofci? His fanè, quę mox diximus partuum vbertatem, ac incolumitatem, perfectamquè eorum texturam, ac conformationem, quę fanam parentum valetudinem atteftari voluit Hip. lib. de genit. & lib. de facro Morbo, adijcere poffumus, à quibus non tantum optima parentum temperies, quam perfectiffima, ac faluberrima aëris conditio elici poteft; quem fanè fi inimicum, eorumquè vitę principijs contrarium experirentur, vt qui in matris vtero ope caloris agentis ab eadē

Rauennates in fenecta robufti.

Rauennates partubus funt fæcundi.

præparatum, purgatumquè inspirarunt, à cuiusq; excessus tum frigidi, tum calidi iniurijs protecti, minus vitam in longius traducere valerent, si hac potiti aura, quod ipsis dissimile esset, eorumquè naturę contrarium, ac improportionatum inspirarent. Huc accedit seges tritico, reliquisquè leguminibus mirum in modum prodiga, quę optimas, atque saluberrimas tum incolis, tum exteris herbas, pecoribus, tum cuiusque animalium generi alendis idoneas vltrò germinat: Prӕterque sata mira fertilitate donata, variorumquè optimum genus fructuum, sapore præstantium, minusque putredini obnoxiorum addi potest; in quorum bonitatis numero se se offerunt consideranda cuiusque speciei animalia benè carnosa, ac sanis visceribus, pleraquè alia, quę breuitatis studio omittenda duxi. Quę sanè omnia saluberrimam tum Cæli, tum huiusce aëris temperiem attestari omnibus est exploratum; quam aëris perfectionem ex ijs, quę supra retulimus, collegisse pariter Hip. licet videre in lib. de aëre locis, & aquis, cuius sententię vnà fuere doctiss. Sept. subtiliss. Cardanus, Zuingerus, Cornarius, & alij præcitati libri interpretes, ad quos pro maiori huiusce veritatis dilucidatione adiri potest, quod & vnicuique nostrum licet experiri: Quam Comitatus Rauennę regionem in cunctis nascentib⁹ beatiorem esse, ac vberiorem, hoc siue in hominibus, siue in animantibus, siue in plantis, & frugibus considerare voluerimus, nemo vnquam dubitauit

Solũ Rauennas fertile segetibus.

bitauit, vt quicquid hìc prouenit vnà cum laudatissima, tum loci, tum aëris qualitate commendetur, vnde fit, vt cuncta à Cæli clementia, tum nos aëris ambientis salubritate, terræquè situ ratione debeant meritò agnosci.

Cælum Rauennatum conseruandę, tum prorogandæ vitę est idoneum.

Quę cum ita sint, si quid certi colligere licet ex ijs, quę modò diximus secundam conclusionis partem à me supra relatam, Rauennatem scilicet aërem cuique ætati, naturę, habitui, non solum bonę valetudini conseruandę, quàm vitę prorogandę idoneum rationabiliter diudicandum esse vtique constabit.

Quare quod ad huiusce conclusionis attinet comprobationem: Ex ea, qua est temperatus parte nullo siue caloris, siue frigoris excessu refertus, sed quandam seruans tum inter primas, tum secundas qualitates commoderationem, ac temperiem, cunctis animantium naturis salubris censendus (me quidem iudice) venit; cui veritati fauet Rasis 14. continen. & Paulus lib. 1. cap. 49. temperatis enim sanus, ac proficuus ea ratione dici debet, quia similis, sicuti intemperatis, ac dyscratis, quia aliqua ex parte contrarius existit, vnde Gal. 3. Aphor. com. 2. & 1. de tuend. sanit. dixit. *In quibus aliqua exuberans qualitas dominatur his vtilissimus aër est, qui ei qualitati maximè est aduersus, sed temperatis corporibus aër semper est saluberrimus*. Hæc Gal. Quare huiusmodi aër ob eam, quã assequutus est temperiem, nulli inimicus, aut contrarius, sed omni prorsus ætati quocunque an

ni

ni tempore, sanitati, tum faciendę, tum conseruandę plurimum conducat; vt qui nulla excedenti qualitate donatus, ita in nostra corpora sensibilem aliquam alterationem inuehere non valeat: Propterea non leuem sibi arrogare partem in producenda hominum hic degentium vita, ex eo licet conijcere, quod nulla qualitate morbosa, seu insalubri perfusus, eam quam vnusquisque à suis generationis primordijs quatuor scilicet humoribus primis quatuor corporibus correspondentibus sortitus est Symetriam, ac tonum, conseruare maximè possit; Vnde pro ipsis spiritibus progignendis purgatissimam in dies communicando materiam, vnàque facultatibus hoc nostrum corpus gubernantibus virtutē indendo, calor noster tum souetur, tum adaugetur, àc per nouiter genitorum spirituum præsentiam dissipatus restauratur, in quo totam hanc nostram, viuendi rationem consistere nemo est qui ignoret: Hinc fit, vt hanc regionem incolentes iure merito vnà cum corporis salubritate longæuam, ac diuturnam (vt supra etiam innuimus) traducant vitam, vt qui plurimum hoc calido abundent, spirituosâ scilicet huiusmodi substantiâ, non tantùm ob alimenti aëris proportionati similitudinem, quàm Cæli clementiam, à quibus cum in quodam veluti æquilibrio elementa hoc nostrum corpus constituentia, seu quatuor humores conseruantur, modicumq; eius dissipetur substantię, à qua omnes nostrę dependent tum actiones, tum vita ipsa, quod beni-

Longæui ex Rauennatibus plurimi.

gno

gno Cælo,ac humidiori fruamur,ita longissimam, eamq; salubrem degentes nos in hoc aëre excolere vitam non est ab re confiteri: Propterea Aueroes in paraph. in lib. Arist. de longit. & breuit. vitę, nos edocuit, hanc positã esse in symetria,ac vnione quatuor primarum qualitatum, quę sanè in nostris corporibus eam seruare debent inter se æqualem proportionem, vt ex illa tum patiendi, tum compatiendi ad inuicem actione, & reactione eam præseferant formam, quę in calidi ratione suas super frigidum exerceat vires, sicuti humidum supra siccum, quę complexio, seu temperatura ipsius mixti venit appellanda, à qua omnes nostrę proueniunt operationes immediatè, tum nostra dependet vita, quam Gal.& Hip. formam substantialem ab his desumpta ratione esse voluerunt, licèt in contrarium senserit Auic. lib. de anima par. 1. cap. 1. & Alber. 2. de gen. tract. 2. cap. 15. Quod temperamentum calidum, & humidum vitę huic nostrę producendę accomodatissimum existimauit Gal. 6. de tuend. valet. quod innuere etiam voluisse videtur Arist. lib. præallegat. cap. 3. quando vitam in calido, & humido sitam esse affirmauit: Quę duo si vtique conseruari possent, longæuum sanè, ac ferè immortale fore hominum genus existimauit Gal. loco præcitato. Vnde est, vt Auer. in paraph. cit. lib. Arist. longioris, ac diuturnioris vitę causam existimauerit hanc caliditatis,& humiditatis abundantiam, quę non minus est vitę principium,quam alimentum

Temperamentum calidum, & humidum optimum.

tum

tum, ficuti ipſi vitę contrarium eſt mors, quę nihil eſt aliud, ſecundum cit. Authorem, quam frigiditas, & ſiccitas; proinde Iuuenum complexio calida, & humida ab omnibus conſtituitur, quia ſuis generationis principijs proximior; ſicuti illa ſenum frigida, & ſicca interitui, ac morti vicina: Qua propter quò magis ab his elongamur principijs, amittimuſque de hac quâ humiditate, quâ caliditate, paulatimque traſmutando illa duo hanc vitam noſtram conſeruantia, eò magis huiuſce vitę breuitati conſulimus, quam quidē duobus contingere modis colligitur ex Auer. in præallegato Ariſt. lib. naturaliter ſcilicet ab intrinſeco principio, & accidentaliter ab extrinſeco: Ab intrinſeco enim quando calor naturalis intendendo in humidum noſtrum naturalem ipſum conſumit, illeque in dies ſe remittendo, ac reſoluendo forma contraria introducitur in indiuiduo, frigiditas ſcilicet, & ſiccitas, quę non eſt niſi ipſius animantis interitus: Ab extrinſeco porrò principio pendet hæc ab illis ſex rebus, à Medicis communiter non naturalibus dictis, quę ſi ritè vſurpentur hoc noſtrum corpus longæuum efficiunt, ab innumeriſq; penè morbis vendicare poſſunt; vnde eſt quod Gal. 3. artis medicinalis cauſas conſeruantes vocauerit; ſicuti ſi contrario vſurpentur modo, ſenſibiliter illud alterent, bonamq; valetudinem ſtatim deſtruant: hæ autem ſunt Aër, cibus, & potus, ſomnus, & vigilia, motus, & quies, inanitio, & repletio, vltimo animi perturbatio-

Breuitas vitę vnde proueniat.

nes, quę non mediocriter malè exercendo nostra corpora contrariam sæpissimè introducendo intemperiem bonum habitũ dissoluunt: Hæc sanè sunt, quibus si abutamur ab extrinseco in nostrum agendo corpus, siue immodicè refrigerando, siue siccando, siue calefaciendo, siue replendo, multaque alia intrà operando hanc vnitatem corpoream corrumpunt: Inter quę, quod supra etiam ostensum fuit non præter rationem, primus aëri datur locus, vt qui inter cætera sicuti dignior, ita huic nostrę conseruationi maximè necessarius, omniquè alio conducibilior; vnde Gal. 1. de sanit. tuend. cap. 2. & 3. illius dignitatem, ac officium, quod in nostrum exercet corpus, respiciens, duo tantum esse, quę ipsum sensibiliter alterare possunt, ab intrinseco scilicet substantię nostrę fluorem, ac siccitatem, quam internus perpetuò parit calor, excrementorumquè prouentum, qui ex nutrimenti concoctione resultat; ab extrinsecis autem aërem solummodo esse, tradit, vt qui facultatem ipsam vitalem respicit, sine qua alię nec operarentur, frustraque imperandi, regendiq; munere potirentur; Hinc Hip. eius præstantiam ac necessitatem intuitus dixit lib. de flatibus sup. cit. eum esse solum vitę, ac morborum auctorem; quare à Mundi creatione id sibi præcipuum inter alias res non naturales comparauit munus, vt sicuti hę volũtatis sunt imperio subiectę, in nostraq; potestate sitę, ita is naturę, vitęquè necessitati fuerit procreatus, vt velint nolint animantia cuncta

Aër principem locum obtinet.

Duobus sensibiliter alteratur corpus ab intrinseco.

inspirare

inſpirare cogantur, quò fit, vt inter cætera in hac noſtra vita conſeruanda, pariter ac producenda principatum obtineat, vt qui ſpirituum vitalium, non tam generationi, quàm alitioni præſtat continuò materiam, ipſiuſque ope vitę principium, ac ſedes refocillatur, ac ſuſtinetur, ne caloris copia, aut peruratur, & exſiccetur nimis, aut vaporum, ac fuliginum multitudine marceſcat, aut ſuffocetur, ſicuti, & in ſua naturali proportione, ac tono cõſeruetur: Propterea Aueroes in lib. Ariſt. de long. & breuit. vitę, hanc penè huiuſce cordis proportionem complexionalem attendi autumauit; quę ſanè cum ab intrinſeco principio in dies ratione aſſidui motus, tum aliorum aliquid ſemper patiatur, pro eius conſeruatione aëris ventilatione, ac veluti pabulo quodam indiguit, vt repararetur, in ſuaque naturali temperie conſeruaretur, vnde fit, vt qui in optimo habitant aëre ob purgatam, quę cordi, & ratione caloris euentationis, & ſpirituum generationis impertitur materiã, vna vitę ſalubritatem, ac longitudinem ſibi adſciſcant, cum clarus, purus, ac lucidus aër humores, ac ſpiritus ſibi ſimiles procreet, ſicuti turbido, ac nebuloſo effecto aëre humores quoque, ac ipſi ſpiritus turbentur, & offuſcentur, vt voluit Auiç. 1. 1. Ioan. Iacob. Vuecher 2. parte thor. cap. de aëre: Ex quo colligitur vitę noſtrę principijs, calido ſcilicet innato, eum cordi, ac ſpiritibus redditum improportionatum, ac contrarium in huius animatę fabricæ deſtructionem, ac

longitudo vitæ penes quod attendatur.

Tales procreantur Spiritus qualis eſt aër.

interitum solummodo intendere.

Rauennatis Cæli aëris salubritatis recapitulatis.

Quamobrem cum sub hoc Rauennati Cælo ea sit aëris substantia, quę secundum totum sui esse sit lucida, ac pura, ob consimiles, quas cum spiritibus ipsis habet qualitates, fit, vt ad ipsorum spirituum de facili couuertatur naturam; ob temperatamque quam adeptus est secundum actiuas, tum passiuas qualitates temperiem, huic cordis proportioni complexionali maximè faueat, ac proinde non tã eiusdem ratione puritatis, ac temperiei, quam alicuius salubris humiditatis munere, vt existimauit subtiliss. Cardanus de humidiori Cæli temperamento, vitę diuturnitati non mediocriter conducat, vt videre est in prædicta Rauennę Ciuitate, tum huic adiacentibus Pagis, in quibus (quemadmodum ostendimus superius) & tarde senescentes, & longæui obseruari possunt; cum in his, & secundum proportionatam Cæli temperiem, ac clementiam, tum consimilem aëris temperatam humiditatem nostro huic humido conseruando, ac fouendo non alienam, sicuti ob spirituum claritatem, ac puritatem sibi ipsis abhoc Rauennati aëre generationis, tam nutritionis perconsimilem materiam adscitam hæc nostra vitę principia, ac complexionalis cordis proportio, in qua is animę cum corpore consistit nexus, mirum inmodum conseruentur.

FINIS.

INDEX

INDEX NOTABILIVM, QVÆ IN HOC OPVSCVLO CONTINENTVR.


ER. A Deo est procreatus. pag. 1.
Aeris necessitas. ibid.
Aer causa vitę. 2.
Aer quomodo dicatur anima. 3.
Aer principatum tenet inter res non naturales. ibid.
Aerem inter cetera maximè alterare corporaquè nostra immutare. ibid.
Aer varijs est obnoxius mutationibus. ibid.
Aer morborum. & vitę auctor. 4.
Aer Rauennas optimus, ac impermixtus. 10.
Aeris cum humido nostro proportio. 13
Aerem Rauennatem humido nostro conseruationi conducere. ibid.
Aer perspiratu fit parior. 16.
Aeris Rauennatis dotes. 33.
Aer Rauennas nulli inimicus, aut contrarius ob eam, quam seruat æqualitatem 46.
Aer inter res non naturales principem locum tenet. 50.
Benefitia ventorum Septentrionalium. 34 35.
Benefitia à Rauennati aere parta. ibid.
Benefici sunt Rauennati aeri venti. 18.
Boreales ventos omniū esse optimos. 22.
Bonitas aeris Rauennatis ex benefitio Maris. 17.
Breuitas vitę vnde proueniat. 49.
CAElum Rauennas tum conseruandę, tum producendę vitę esse idoneum. 46.
Ciuitates non euentabiles prauo fruuntur aere. 15.
Crassus aer bonę valetudini noxius. 16.
Corpora locas frigidas colentia esse fortiora. 22.
Corpora, quę calidas locas inhabitant esse sapientiora. ibid.
Coloni Rauennatis Agri sunt robustissimi. 37.
Comitatus Rauennę regionem in cunctis esse vberiorem. 45.
DEscriptio Rauennę à Strabone. 15.
Dotes aeris Rauennas. 11.
Duorum Rauennę Fluminum terminus à quo. & ad quem. 8.
Duo Rauennę Flumina aeris salubritati conducunt. 12.
Defensio Zephyri. 26.
Duobus sensibiliter alteratur corpus ab intrinseco. 50.
ETesia frequens Rauennę. 29.
Etesię terminus à quo, ac eius natura. 30.
Etesię per totam ferè æstatem perflant Rauennatem aerem. ibid.

Etesias

Etesias nobis spirare ex parte Notap. 31.
Etesias qualis Rauennę. ibid.
Etesiarum commendatio. 32.
Etesias ventos saluberrimos esse, multaque, ac varia commoda præstare. ibid.
FRigidos, & siccos esse ventos à Septentrionali Plaga. 21.
Falsa de vitiato aere opinio. 6.
HVmiditas acris non raro nostri humidi primogeniti conseruationi, ac reparationi confert. 12.
Humidum in quo consistat. 13.
INcolentes Rauennam bonum vniuersi corporis induere habitum. 35.
Incolitus propè Mare vtilis. 18.
In calido, & humido vita hominis. 13.
Iuuentutem Rauennę esse validam, & actuosam. 36.
Italiam esse sub temperata Cæli constitutione. 37.
Italicas gentes esse optimę temperaturę, præcipuè Rauennates. 43.
LOcorum mutationes sunt sæpe incommodę. 4.
Loca marina ab aliquibus iniuria improbari. 20.
Loca aperta incolētes tardè senescere. 16
Longæui ex Rauennatibus plurimi. 47.
Longitudo vitę penes quod attendatᷓ. 51
MAritimos Ventos esse siccos. 18.
Marina animalia sunt vegetiora terrestribus. 19.
Marinum aerem ad diu viuendum conferre. 21.
Monton, & Vitis Flumina Rauennam præterfluentia. 8.
Multi Rauennę ad plurimos annos vixere. 7.
NAtura zephiri, & eius terminus à quo. 35.
Nostri insiti calidi substantiam pernouorū spirituū præsentiā reparari. 39.
Notapeliotes. 28.
Notolibicus huic Prouincię Romandiole infestissimus, licet Rauennę non incommodus. 27.
OPerationes tum animi, tum corporis in quo consistant. 40.
Optimum, saluberrimumq; traducere vitę genus Rauennates. 42.
Optimam esse Cæli Rauennatis constitutionem. 15.
Optimi aeris signa. 10.
PErspirabilis loci benefitia. 15.
Plana, & aperta loca salubriora. 11.
Plurimi Rauennam olim conuenere sanitatis ergo. 6.
QVi aer sit habendus salubris. 9.
Qua ratione aer Rauen. dicendus sit saluberrimus. 9.
Quę sit aeris Rauennatis substantia. 10.
Qualitates à Mari tum bonę valetudini tuendę, tū vitę producendę sunt accommodatę. 17.
Qui salubrem inspirant aerem sunt maximè viuidi, & quam ob causam. 39
Quomodo varias præter naturam affectiones pariat aer. 41.
RAuenna olim intra paludes. 5.
Rauennę situs. 7.
Rauennę Cælum quale. 8.
Rauennates meliori Italię Cælo frui. 38.
Rauennates in senecta robusti. 44.
Rauennatis aeris substantia æqualis. 11
Rauēnę Ager multis ferax fructib⁹. 12.
Rauennates partubus esse fecundos. 44.
Romanus aer cuius sit naturę. 15.
Res non naturales quę sint. 50.

Salsum

Salsum, & dulce simul difacili putrescunt. 20.
Salubritas iuris Rauennę unde dignosci tur. 14.
Siroccus qualis Rauennę. 29.
Situs Rauennę euentabilis. 15.
Solum Rauennas fertile segetibus. 45.
Spiritus vitales ab aere pendere, & in generari, & in conseruari. 2.
Spiritus sunt facultatum vehicula, & essentia animę. 38.
Spiritus vitales sunt instrumenta, & currus animę. 2.
Tales procreari spiritus, qualis aer. 51.
Temperies Rauennatis Cæli inter frigidum, & calidum. 23,
Temperamentum calidum, & humidum optimum. 48.
Ventorum terminus à quo, & ordo ad hanc ventilandam Rauennatem plagam. 28.
Venti alij Septentrionales, & quales sint Rauennę. 27,
Ventus quid sit. 21.
Ventorum à Mari commoda. 17.
Venti Rauennatem Plagam illabentes, qui sint. 24.
Venetos vegetos esse, diuq; viuere. 19.
Vitę rationem in quo consistat. 47.
Vitę, & respirationis nexus. 2.
Vitiati aeris detrimenta. 40.
Vitiatus aer occultus nostrę vitę principijs inimicus. 42.
Virium robur, ac intellectus perspicacitas, à quibus causis. 38.
Vnde Rauennatis aeris salubritas. 7.
Vulneribus capitis medendis vtilissimus est Rauennas aer. 36.
Ventorum qualitas diuersa pro locorũ diuersitate. 26.
Zephyrus agriculturę cõmodus. 26.
Zephyrum in Italia esse saluberrimum. 25.
Zephyri à calumnijs illatis defensio. 26.

FINIS.